

qui ad vos venerint cum ipsis literis, eos capiatis, & detineatis, nobis sub fida custodia transmittentes de meritis recepturos. In quorum testimonium ecc. Datum in castro Bestagni die X. julii, anno Domini MCCCLXIV., indictione II.

*Collatio Ecclesie Parrochialis Montisaudi cum unione duorum beneficiorum.*

315

MCCCLXIV.

Anno Domini MCCCLXIV. V. augusti. Cum pro parte communis hominum loci Montisaudi fuerit supplicatum Rev. in Christo Patri, & D. D. G. Dei gratia Episcopo Aquensi, & Comiti, nec non V. V. D. Jacobino Vic. Gen., ut quod dictus locus Montisaudi, in quo habitant circa 400. animæ, est divinis officiis desolatus, & fuerit sine Presbitero, & Rectore pluribus annis; qui dictus Vicarius circa salutem animarum assidue vigilans concessit Presbitero Simoni Buschæ Clerico, & Beneficiato Ecclesie S. Mariæ de villa Carpeneti, & Ecclesie S. Michaelis de Tomboal curam animarum dicti loci ecc., & ut decentius in dicto loco possit habere vitam suam, cum redditus ipsius sint ita exiles evenivit Clericatum Beneficium, & præbendam, quos obtinebat in dictis Ecclesiis Joannes Calegarius de Carmorino olim Clericus dictarum Ecclesiarum dicto Presbitero Simoni Buschæ, & successoribus suis, ita quod amodo sit suus Rector ipsarum Ecclesiarum, qui serviat, & servire debeat dicto communi, & hominibus de cetero in divinis, & ibi exercentur curam animarum, investiens dictum præsentem Simonem cum annulo ecc.

*Procuratio omnium Ecclesiarum in Liguria, ac Pedemonte ad Ecclesiam Bethlemitanam spectantium facta Episcopo Guidoni ab Ademaro Episcopo ejusdem Ecclesie.*

316

MCCCLXV.

In nomine Domini amen. Vedi infra ad an. 1369. pro Ecclesia Occimiani.

*Permutatio Canonatus Aquensis Ecclesie cum Canonatu de Incisa.*

317

MCCCLXV.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXV., indictione III., die XXV. junii in civitate Aquis majoris Aquensis Ecclesie præsentibus Rev. in Christo Patre, & D. D. fratre Jacobo de Ponto ordinis Minorum Episcopo Millepotensi, Presbitero Antonio Bellerato sacrista Ecclesie Aquensis, Joanne Arancamillo de Tertio, & Antonio de Bottino Castellano Tertii testibus ad infra scripta vocatis, & rogatis. In quorum præsentia, & mei Notarii infra scripti nobilis vir Dominus Joannes ex Marchionibus Incisæ canonicus præbendatus majoris Aquensis Ecclesie ex parte una, & Bartholomeus natus Jacobi de Oddonis de Incisa canonicus sanctorum Victoris, & Coronæ Plebis de Incisa ex parte altera constituti personaliter in jure coram Rev. in Christo Patre, & Domino D. Gui-

done Dei gratia Aquensi Episcopo, & Comite, nec non in præsentia venerabilium virorum Dominorum Merlini Bellexii Archidiaconi, Presbiteri Bartholomei de Porta, Jacobini ex Marchionibus Incisæ, & Joannini de Quireggio canonicorum dictæ Aquensis Ecclesie convocatorum, & congregatorum consentientium, ad omnia, & singula supra scripta, & infra scripta, cum in dicta Ecclesia Aquensi non sint aliqui alii canonici constituti in sacris exceptis ipsis quatuor cupientes ad invicem ipsi Domini Joannes, & Bartholomeus per ipsum Dominum Episcopum permutare animo, & intentione directæ permutationis faciendæ inter eos de dictis canonicatibus, & præbendis ut supra; idem Dominus Joannes canonicus ut supra flexis genibus pure mere, ac sponte animo, & intentione dictæ permutationis faciendæ renunciavit in manibus dicti Domini Episcopi, & in præsentia dictorum dominorum canonicorum canonicatui beneficio, & præbendæ, quos idem Dominus Joannes obtinebat in dicta Aquensi Ecclesia, & omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus ad eos spectantibus in eisdem, & hoc dummodo dicta permutatio fiat, & fieri de jure possit, & obtineat roboris firmitatem, & aliter non renunciat, neque cedit ipsis canonicatui beneficio, & præbendæ, eodemque modo, & forma dictus Dominus Bartholomeus præsentem, volente, & consentiente dicto Domino Jacobino Archipresbitero plebis prædictæ de Incisa animo, & intentione dictæ permutationis faciendæ flexis genibus coram dicto Domino Episcopo, & præsentibus dictis Dominis Canonicis, & Archipresbitero pure mere, & sponte renunciavit, & cessit omni beneficio, & præbendæ, quos obtinebat in dicta plebe de Incisa, & omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad eosdem. Quas quidem renunciaciones, & cessiones animo, & intentione directæ permutationis faciendæ ut supra factas dicti Domini Episcopus, & Archipresbiter gratas, & ratas habentes liberaliter acceptaverunt. Quapropter dictus Dominus Episcopus considerans quod dictus Bartholomeus melius poterit in dicta Aquensi Ecclesia, quam dictus Dominus Joannes propter exiles redditus residere, & super his, & aliis habita deliberatione matura Christi nomine invocato per modum dictæ permutationis contulit, & concessit dicto Bartholomeo dictos canonicatum beneficium, & præbendam, quos obtinebat dictus Dominus Joannes in Ecclesia Aquensi prædicta, & dictum Bartholomeum transtulit, & præfecit de dictis canonicatu, beneficio, & præbenda, quos obtinebat in plebe de Incisa, ad prædictos canonicatum beneficium, & præbendam dictæ Ecclesie majoris Aquensis. Et modo simili de voluntate dicti Domini Archipresbiteri concessit, & obtulit dicto Joanni canonicatum beneficium, & præbendam, quos obtinebat dictus Dominus Bartholomeus in Ecclesia plebis de Incisa suprædicta cum omnibus juribus, & actionibus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad ipsa beneficia suprædicta, & cum omnibus honoribus, vocibus, & locis spectantibus, ad eosdem inducentes tam præfatus Dominus Episcopus, quam dicti Canonici dictum Bartholomeum in corporalem possessionem dictorum canonicatus beneficii, & præbendæ